

alii viro, nisi illa omnino resistat; tamen ad monasterium licet ire si voluerit. Illa autem despontata, si non vult habitare cum eo viro cui est despontata, ei pecunia quam dedit, et tertia pars addatur. *Cap. LXXXI*: Desponata mulier viro; deinde non vult habitare cum ea, reddat pecuniam que ipsi datur; et tertiam partem substantiae addat. *Priora verba ut in vet. cod. Poenit. leguntur apud Burch., lib. VIII, exceptis his verbis quae desunt: nisi illa omnino resistat.*

#### CAP. XII POENIT.

Si servum et ancillam dominus amborum in matrimonium conjunxit, postea liberato servo vel ancilla, si non potest redimi que in servitio est, libero licet ingenuam conjungere. *Cap. LXXI*: Si servus sit, et ancilla domini servum illum liberum non vult cum illa nubere, dimitte accipere, si illa non potuerit ad eum. *Quæ verba nimium depravata ad genuinum et apertum sensum restituuntur præcedenti le-*

*ctione vet. cod. Poenit. quam rectam esse confirmant exceptiones Egberti Eborac., cap. 124, Canon dicit: Si servum et ancillam dominus amborum in matrimonio conjunxerit, postea liberato servo vel ancilla, si non potest redimi qui in servitio est, libero licet, sicut quibusdam placet, ingenuam conjungere; sed tamen juxta sententiam Domini moechus probatur.*

#### CAP. XIII DE POENIT.

Jejunio legitima tria sunt in anno: quadraginta ante Natale Domini, et post Pentecosten quadraginta dies. *Cap. 109*: Jejunia legitima sunt tria in quadragesimis.

Infirmis licet omni hora cibum et potum sumere, quando desiderant vel possunt, si opportune possunt. *Burch., l. XVIII, c. 20, ex concil. Mogunt. c. 26*: Infirmis licet omni hora cibum potumque sumere, quotiescumque desiderant.

#### POENITENTIALE THEODORI

*Collatum cum quibusdam testimoniis, quæ ex eo deprompta laudantur sub nominibus suppositis Hygini papæ, Fabiani, etc. Atque hæc testimonia certo ac vero auctori Theodoro restituuntur.*

Cum apud omnes viros doctos constet quæ vulgo laudantur ab auctoribus recentioribus sub nominibus Hygini papæ, Fabiani, Eutychiani, etc., esse supposita, et variis hinc inde excerptis testimoniis contexta; sufficit ea quæ pertinent ad Theodorum, ipsi ut vero ac certo auctori restituere, sicut jam plura aliis patribus a viris doctissimis restituta sunt.

*Grat. Decret., II p., caus. 27, q. 2, c. 27. Desponsatae pueræ non prohibentur monasterium eligere. Probatur itidem auctoritate Eusebii papæ dicentis: Desponsatam pueram non licet parentibus alii viro tradere: licet tamen illi monasterium eligere. Illud est desumptum ex Poenit. Theod., in questionibus conjugiorum, ubi sic: Pueram despontatam non licet parentibus, etc.*

*Decret., II p., caus. 28, q. 1, c. 2: In fidelis potestate sit, post baptismum uxorem recipere, quam ante dimiserat. Ex decreto Eutychiani papæ: Si quis gentilis gentilem uxorem diuiserit ante baptismum, post baptismum in potestate ejus erit eam habere, vel non habere. Hoc pertinet ad Theodorum qui ita in questionibus conjug.: Si quis dimiserit gentilem uxorem, etc.*

*Apud Grat. sequitur c. 3: Fidelis infidelem discentem sequi non cogitur. Idein Eutychianus papa: Simili modo, si unus ex conjugatis baptizatus est,*

et alter gentilis, et sequi non vult, sicut dicit Apostolus: Infidelis si discedit, discedat. *Istud quoque est Theodori qui hæc subjungit: Simili modo, si quis eorum baptizatus est, alter gentilis, etc.*

*C Decret., II p., caus. 35, q. 2, c. 3: Affines in quinta generatione copulari possunt: in quarta si fuerint inventi, non separantur. Item Fabianus papa: De propinquis qui ad affinitatem per virum et uxorem veniunt, defuncta uxore vel viro, et quinta generatione conjungantur: in quarta, si inventi fuerint, non separantur. In tertia vero propinquitate non licet uxorem alterius accipere post obitum ejus. Äqualiter vir conjungatur in matrimonio eis quæ sibi consanguineæ sunt, et uxoris suæ consanguineis post mortem suæ uxoris. Eadem paulo post citat sub nomine Julii papæ in eadem caus. et quest., c. 13. Sed ita pertinent ad Theodorum qui sic in quest. conjug.: In tertia propinquitate carnis licet nubere secundum Græcos, sicut in lege scriptum est; in quinta secundum Romanos, tamen in tertia non solvunt, si post factum fuerit. Ergo in quinta generatione conjungantur. Et sic de ceteris.*

*D Ex quibus omnibus patet maximæ auctoritatis esse Poenitentiale Theodori, atque optimum codicem quo usi sumus.*

• Burch., l. IX, c. 59, 60.